

TRACTATUS
DE PERFECTIONE SPIRITUALI SPECIATIM

CAP. PRIMUM.

DE VIIS QUIBUS PERVENITUR AD PERFECTIONEM.

43. — **Monitum.** — « Via coelestis ambulantes quaerit: tria sunt hominum genera quae odit: remanentem, retro redeuntem, aberrantem: excitandi sunt ergo remanentes, retro redeuntis revocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi » (S. Aug. *De tripl. habitac.* c. 4). Tu ergo qui in via Domini ambulas, indesinenter memento quod sis in terris *viator* et « Viator dicitur, qui praesentem vitam, viam sibi esse, et non patriam attendit, qui in dilectione praetereuntis saeculi cor figere despicit, qui nec remanere in transeuntibus, sed ad aeterna pervenire concupiscit » (S. Greg. l. 15, *Moral.* c. 35, n. 27).

44. — **Definitio.** — I. Via *etymologice* sic dicitur: « quia per eam unusquisque transeuntium viatur, » ait Cassiodor., sive *litteraliter* sive *metaphorice* ut in praesenti tractatu. — Unde metaphorice sunt viae iniquitatis, viae sanctitatis, imo aliquo sensu tot viae quot sunt hominum vivendi normae seu modi, ut multipliciter probant DD.: « Septem sunt viae difficiles (ait S. Antonin. p. 1, tit. 5, c. 3): via montuosa, via spinosa, via lutosa, via tenebrosa, via tumultuosa, via sumptuosa, via taediosa. Via montuosa, superbiorum; via spinosa, avarorum; via lutosa, luxuriosorum; via tenebrosa, invidiorum; via tumultuosa, iracundorum; via sumptuosa, gulosorum; via taediosa, acediosorum ». Et viam devotorum sic describit S. Bonaventura (*sup. ps. 36*): « Quadruplex est via: Via a qua, via in qua, via per quam, via ad quam. Via a qua imus, est peccatum; via in qua imus, sunt virtutes et bona opera; via ad quam tendimus et per quam imus, est Christus ».

II. VIA PERFECTIONIS est *quaedam ordinata devote vivendi ratio ad charitatis augmentum quotidie obtinendum.* — DUPLEX EST: *late*, vel *stricte* sumpta. *Prima* est *legitima quaelibet devote vivendi ratio in ordine ad perfectionem charitatis*, ut v. gr. via zeli animarum, via mortificationis, via studii specialis circa lectionem spiritualem, via habitualis et sancti timoris, via fiduciae et specialis spei, via tribulationis et patientiae, etc.: quia in omnibus praeaudatis viis anima quamplurima peragit pia opera vel exercitia quibus ad perfectionem tendit. — *Se-*

cunda est generalior et quasi habitualis animae vivendi ratio in ordine ad perfectionem charitatis, per continuas mentis ascensiones obtinendam (dicitur *quasi-habitualis*, quia vir perfectionis studiosus semper tendit ad perfectiores sanctitatis gradus). Hinc, nomine *viae perfectionis* haec ultima, seu *via stricte sumpta* tantum communiter in scientia ascetico-mystica intelligitur, cum priores viae, seu *late sumptae* sint potius *modi tendendi* ad perfectionem, quam designationes status animarum relate ad perfectionem. Ergo agendum de *viis* perfectionis *stricte sumptis*.

45. — **Divisio.** — I. *Via perfectionis* melius vocatur *via ad perfectionem*, cum in hac vita semper proficere possimus. Et quoniam in via seu itinere, adest *terminus a quo, terminus per quem et terminus ad quem*; sequitur quod in via perfectionis considerare debemus *quid relinquere debemus, quo pervenire intendimus, et media per quae pervenimus*. Relinquere et detestari peccata, ad unionem cum Deo tendere, et per virtutes ad id laborare debemus. — **NOTA.** — 1° Vita hominis secundum intellectum (qui est vel practicus vel speculativus) convenienter dividitur in *vitam activam* et *contemplativam*, ac consequenter etiam in *vitam mixtam* ex activa et contemplativa. — 2° *Merito Doctores Mystici dividunt vitam spiritualem in vitam activam, contemplativam et mixtam. Mixta autem est perfectior in specie*, nam quaelibet longe superior evadere potest ex perfectione individuali. Item status

religiosus vitae contemplativae est perfectior statu religioso vitae activae; ambo vero superantur a vita mixta, ut probant AA. — 3° Differentia statuum seu viarum recte attenditur secundum incipientes, proficientes et perfectos, quia datur principium, medium et finis in libertate justitiae a servitute peccati. Ita ex D. Th. 2, 2, q. 183, a. 4. Vide alia circa has materias ibid. q. 179, 180, 181, 182, 183.

II. Hinc, Via perfectionis dividitur in *Viam purgativam*, seu incipientium, *Viam Illuminativam* seu proficientium, et *Viam unitivam*, seu perfectorum.

III. VIA PURGATIVA est *illa in qua homo ad Deum conversus, discedit a peccatis, sive in qua anima a peccatis purgatur, et ab affectu ad peccata.* — VIA ILLUMINATIVA est *illa in qua anima a peccatis purgata, illuminatur per virtutes, et roboratur in charitate per augmentum charitatis.* — VIA UNITIVA est *illa in qua anima a peccatis purgata, et virtutibus illuminata et exornata, principaliter intendit ut Deo inhaereat, eo fruatur, et in Deo quiescat, et consequenter ut Deo in omnibus placere studeat.* — Ergo *in via purgativa* anima purificatur a sordibus, *in via illuminativa* accepit ornamenta quibus decoretur, *in via unitiva* anima Deo charissima efficitur.

46. — **Existencia trium viarum perfectionis.** — I. *Datur in vitae spiritualis notione, triplex via: purgativa, illuminativa, et unitiva, ut constat ex dictis n. 45, etc.* — *Probatum etiam, 1° ex D. Thoma: « In omni autem humano studio est accipere prin-*

cipium, medium et terminum; et ideo consequens est quod status spiritualis servitutis et libertatis secundum tria distinguatur, scilicet secundum principium, ad quod pertinet status incipientium; et medium, ad quod pertinet status proficientium; et terminum, ad quem pertinet status perfectorum » (2, 2, q. 183, a. 4). — 2° Ex sequenti damnata Molinos Prop. 26: « Tres illae viae: purgativa, illuminativa et unitiva, est absurdum maximum quod dictum fuerit in Mystica; cum non sit nisi unica via, scilicet interna ». — 3° Perfectio christiana consistit in ipsius charitatis perfectione: ad charitatis autem perfectionem pervenitur per tria diversa studia, id est incipiendo a fuga peccati, proficiendo per virtutum acquisitionem, et Deo specialiter inhaerendo per exercitium praedominans ipsius charitatis. Ergo...

II. *Tres illi gradus seu viae non debent nec possunt stricte seorsim sumi, sed simul ad perfectionem pertinent.* Aliter perfectus dici posset qui mortalia peccata tantum vitaret. Hinc requiritur, ut qui sunt in via purgativa tendant ad illuminativam, et qui in illuminativa ad unitivam, imo qui in unitiva, semper tendant ad majorem charitatem et unionem cum Deo. Ergo tres viae sunt gradatio qua anima ascendit ad Deum per amoris desiderium et charitatis augmentum. Unde semel atque iterum dicendum cum S. Bernardo (*Epist.* 253): « *Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio deputatur* ».

47. — **Distinctiones NECESSARIAE AD NOTIONEM**

TRIAM GRADUUM SEU VIARUM PERFECTIONIS RITE INTELLIGENDAM. — Quoniam non raro ex modo loquendi nonnullorum Doctorum ascetico-mysticorum, fieri posset confusio inter ea quae pertinent ad vias ordinarias, et ea quae vias extraordinarias et arcana mystica respiciunt, saequentia prae oculis habeantur principia sive distinctiones:

I. *Tres perfectionis gradus non ita distinguuntur, ut unus excludat actus alterius, imo in quolibet gradu interveniunt ex parte aliorum graduum quaedam manifestationes, tanquam saluberrima adjuncta.* Etenim, « constat hos tres status nunquam esse in via ita condistinctos, quin unusquisque illorum aliquid de caeteris participet. Quilibet ergo illorum ab eo quod in ipso praedominatur nomen et rationem accipit. Nam imprimis in hac vita nunquam ad eum gradum perfectionis pervenitur in quo proficere homo non possit et debeat » (Suarez, *De Orat.* l. 2, c. 11, n. 4, p. 166). — « Licet in omnibus his tribus gradibus, illos habentes semper proficiant, haec tamen nomina eis accommodantur, juxta exercitia quae unusquisque habet, cum hoc tamen stat, quod in omnibus his tribus statibus purgantur imperfectiones, quamvis purgatio sit propria viae purgativae, et etiam in via purgativa, et illuminativa incipientes, et proficientes aliquo modo attendunt unioni Dei, quamvis haec unio sit propria viae unitivae et perfectorum. Et ratio est, quia hi omnes amant Deum super omnia, siquidem sunt in charitate, quae eos inclinatur ad hanc unionem, et

omnes etiam perfecti habent aliquam imperfectionem a qua debent semper purgari, quin desinant esse personae perfectae charitatis. » (Ant. a Spir. S. *Tr. I*, disp. I, sect. 7).

Hinc in quolibet gradu, anima vigilare debet contra diabolicas fraudes et peccandi pericula, in virtutibus exerceri, et Deo adhaerere saltem ad vitam semper habendam et abundantius habendam. Ergo *viae seu gradus desumi debent ex forma quae magis et generalius dominatur in anima in propria perfectione laborante*. Sic, ubi charitas dominatur, seu magis elucet, habetur via unitiva; ubi timor et spiritualis pugna, via purgativa; ubi conatus virtutum per spem, via illuminativa.

II. *Ordinario viae perfectionis successive procedunt, non vero per saltum*. Constat ex ipsorum perfectionis graduum notione. Dixi, *ordinario*, quia aliquoties ex magnae divinae misericordiae et bonitatis dispensatione, anima potest per valde singularem et extraordinarium gratiae miraculosum interventum a profundo abjectionis et peccatorum ad altissimos charitatis gradus subitaneo sublimari, ut S. Maria Magdalena et alii. Et ex hac consideratione, viri sancti non pauca compassionis et humilitatis erga magnos peccatores deducunt incitamenta.

III. *Ex divinae providentiae supernaturali dispositione, quicumque in palaestra perfectionis incipit et perseverat, perveniet ad charitatis ardorem*. Quia, quamvis gratia sit semper gratuita, ut dictum est in Theol. Dogmat., Deus tamen vult ut

homo active et indefesse adlaboret ad perfectionem obtinendam. Et licet favores mystici, vera viae unitivae ornamenta sint rari, non tam rari dicendi sunt fideles qui ad *ordinariam* viam unitivam Deo dante perveniunt. Vocat semper nos Deus ad perfectionem charitatis: utinam vocanti semper responderemus!

IV. *Absque speciali vocatione quae nemini debetur neque promittitur, homo non sublimatur ad communicationes viarum mysticarum proprie talium*. Hinc viae mysticae sunt dona omnino gratuita quae Deus concedit cui vult, et quando vult, et quomodo vult; unde hujusmodi donis carent (nisi a Deo vocentur ad vias extraordinarias seu mysticas stricte sumptas) etiam devotissimae animae quae purgatae et illuminatae, in charitate jam fortiter roboratae et amoris igne succensae sunt.

V. *Manifestationes mysticae stricte sumptae pertinent generatim ad viam unitivam seu perfectiorum*. Quia Deus non solet animae extraordinaria dona perfectionis concedere, antequam ipsa per ordinarias vias purgationis et illuminationis fideliter pertransierit, et speciali charitatis ardore ipsi jam unita fuerit. *Attamen, aliquando inveniri possunt in aliis viis nonnulli favores mystici*, v. gr. visiones, extases: quia per illos tunc Deus in sua bonitate et misericordia intendit exceptionem concedere ad alliciendam animam imperfectam ad charismata meliora, seu ad viam magnae perfectionis ubi facilius spectari possunt mysticae communicationes, quibus ipsa anima etsi imperfecta tam extraordinariis modis invitatur.

48. — **Concludendum.** — I. Non confundendae, neque minus faciendae tres perfectionis viae, neque ita separandae, ut animae unius viae esse iudicentur veluti in circulo e quo non licet saepe saepius exire ad flore saliarum viarum colligendas. — II. Viae perfectionis non confundendae cum extraordinariis viis contemplationis. — III. Sedulo distinguendae manifestationes seu phaenomena proprie mystica ab actibus vitae perfectionis ordinariae. — IV. Secure quis respective et progrediendo in ordinariis viis purgativa, illuminativa et unitiva versatur, quotidie ad meliora adspirans et humiliter Deo deserviens. — V. Attendendum multo magis ad animae purificationem, illuminationem et ad charitatis augmentum, quam ad favores extraordinarios. — *Ergo antequam consideremus altissima contemplationis arcana, agendum est de singulis ordinariis perfectionis viis.*

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — Piissimus Deus providit nobis de advocata, quae tota mitis, et suavis est, nihil in ea invenitur asperum, nunquam ex ea processit verbum durum (S. Antonin.).

Mariam invoca. — Ave periclitantium auxiliatrix et jucunda libertas, fons gratiae et consolationis: ave peccatorum refugium atque diversorium: ave laborantium propitiatorium: ave spes omnium proborum adversis ca-

sibus afflictorum, dulce conversorum solamen atque praesidium (S. Ephrem).

Mariam laetifica. — Amore silentii et christianae solitudinis. « Qui igitur intendit ad interiora et spiritualia pervenire, oportet eum cum Jesu a turba declinare » (Kempis). — *Ut sim servus Filii, servitatem appeto Genitricis* (S. Ildef.).